



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 3. Christus Herodi, Petrus carceri, per Angelum ereptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

terna Israëlitis præluces, idcirco mihi etiam commemorari videntur, quòd existimare nos velit S. Spiritus, opem de cœlo mitti ijs, qui in terris auxilium omne amiserunt.

§. III.

*Christus Herodi, Petrus carceri, per Angelum, ereptus.*

Quod ipsum etiã ex historia mox adiuncta potest doceri. *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatru & infra, secundum tempus, quod exquiserat à Magis.* Credibile est, iam prope adfuisse carnifices, qui puerum quærebant, alioquin enim, non, intempesta nocte, fuisset Iosepho fugiendum. Itaque nihil sciebat Ioseph, nihil MARIA, de Herodis invidia, nihil de sanguinario consilio, securè dormiebant. Fortasse oppressissent eos armati antè, quàm quiescere desissent. Non erant, qui præcurrerent, & de militum aduentu præmonerent. Non excubabat, ante domum, satelles. Non erat Iosepho hasta, non framea, non umbo, non arcus, non lorica, non galca: totum armamentarium constabat runcina, dolabella, lima, cunco, terebra, scalpro: Matth. 23  
16.

D

His

His *argute lamina ferræ*, *ascia*, *bipennis* similiâque accedebant, *asseribus* & *arborum*, non *hominum*, *truncis* *secandis* *assueta*. Iam ipsa *imbellis Virgo*, & *puer infans* quid fecissent? *Christus* *potentiam* *habebat*, sed *nondum* *erat* *tempus* *eam* *exerendi*; quod *ætas* *exegerat*, *fecit*, *aliorum* *hominum* *more*, *suscepta* *fragilitate*. Iam quid *vicini* *opis* *asserre* *quiuisent*? *conciliant* *quidem* *hominines* *mala*, sed tunc illi se ipsos non poterant *iuuare*, cum eorum *pueruli* *occiderentur*; qua *ratione* *igitur* *Iosepho* *succurrissent*? *Instabat* *itaque* *non* *iam* *Atticus* *aduena*, *ferox*, & *violentus*, sed *Herodiani* *carnifices* *è* *proximo* *imminebant*, & *recesserant* *iam* *Magi* *aduena* *Orientalis*, quorum *authoritas* *pro* *clypeo* *esse* *potuisset*; cū *Matth. 2. ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph,*  
*13. dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.* Ita, *Angelo* *monente*, *expergefactus*, *de* *nocte* *fugit*. Quod etiam de *S. Petro* *legimus*, *quando* *ab* *alio* *Herode* *seruabatur* *in* *carcere*. *Cum* *enim* *producturus* *en̄* *esset* *Herodes*, *in* *ipsa* *nocte*, *erat* *Petrus* *dormiens*, *inter* *duos* *milites*, *vinctus* *catenis* *duabus*: & *custodes* *ante* *ostium* *custodiebant* *carcerem*.

Quis

Quis eum è catenis, è carcere, è militum custodia euasurum putasset? Sed tamen euasit ille. Nam ecce *Angelus Domini* astitit: & *lumen* refulsit in habitaculo: percussusq; latere *Petri* excitauit eum, dicens: *Surge velociter. Et ceciderunt catene de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam (adeò arctè tenebatur) venerunt ad portam ferream (tam dura erat custodia ac firma) qua ducit ad ciuitatem, qua ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudeorum. In Iosepho igitur, ac Petro Deus ostendit, cum alia omnia humana præsidia defuissent, se, de cælo opitulari: nec illud tantum ostendit, sed insuper demonstrauit, quanti à nobis Angeli sint faciendi, qui, nobis dormientibus, solent vigilare, & pro nobis excubare, multaq; , no-*

bis nihil facientibus, à capite nostro pericula amoliuntur. At nos ingrati, rarò hanc & Dei prouidentiam, & Angeli curam agnoscimus, aut vndecumque agnitam, sæpe non pluris, quàm somnium (vt initio Petrus) aut nebulam, in pariete, æstimamus.

## §. IV.

*Deus, etiam cum dormire videtur, pro nobis vigilat; quod exemplo, in nauis dormientis Christi planum fit.*

Quid quòd non solùm, homine dormiente, Deus pro eo vigilet, sed vigilet etiã tum, quando homini aut dormire videtur, aut dormitare? Quod fanè, sicut ostendit, quando iustitię suæ iram ostendit, & excitatus est tanquã dormiens, tanquam potens crapulatus à vino & percussit inimicos suos; ita etiã patefecit, quando, in summo rerũ cardine, homines versabantur. In lacu, seu stagno Genesareth, ob magnitudinẽ, maris nomen sortito, non triremem, sed exiguam atque piscatoriã cymbam nacti discipuli cum Christo uehebantur. Ibi Christus, non simulato, vt quidam putant, sed vero naturalique, quamuis, credibiliter, voluntario & procurato somno dormiebat. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus.*

**Psal. 77.**  
**65.**

**Matth. 8.**  
**24.**

**Luc. 8.22.**